

pectoris prudentiam, consilii maturitatem, sermonis
facundiam habet, qui est vita bonus, fide sincerus, sem-
per constans, intrepidus, omnibus bene consulens & sa-
lutem populi supremam sibi legem proponens. Hunc
simulare & dissimulare posse, rectè affirmamus &
statamus summâ Principum quorundam auctoritate; sed
ut fraudes absint, nec illud in Religionis officio, nec
contra Publ. salutem fiat. Hinc quæritur quinto:

V. AN POLITICUS HONESTE POSSIT
committere mendacium.

^{4.}
Lib. 4. Etb.

Quamquam Philosophus (A.) mendacium pla-
ne omne pravum ac fugiendum scelus vociter, ipsius
tamen effatum cum grano, ut ajunt, salis accipere necessi-
tas loquentium suadet ac æquitas. Ipse enim vocem
mendacii sumit propriè; at populari usu & sensu, de
quavis veri occultatione intelligitur. Et hâc ratione di-
cunt, mendacium committi posse ideoque exempla al-
legant & laudant. In primis Papyrii Prætextati, qui
Romæ domum aliquando è curia cum Patre rever-
sus, interrogatus est à Matre, quidnam in Senatu fu-
isset conclusum. Hic, ne Senatus decreta, quod piacu-
lum erat, eliminaret & effutiret; ut duæ, respondit,
Uxores uni marito nubere possint. Quod ipsum
cùm inter matronas spargeretur, gregatim manè ad
Curiam advolarunt, multoque æquius esse, duobus unam
nubere clamarunt; Interea mendacium hoc Papyrii
apud Senatum percrebuit & tanquam justè peractum
comprobatum, Ipse verò in Senatorem constitutus
&